

datam: Respondit. Sed tu noli credere. Alteri cuidam cū ab officio remotus esset, similia flagitanti, atque addenti: Non se cupiditate ad id petēdum induci, sed pudoris propriij respectu, & vt sine noxa præfecturam equitum sponte dimisisset, insuper & liberalitate Cæsarea dignus putaretur, sic elusit: Tu te accepisse palam dicito: Ego me dedisse non negabo. Quidam Romanus, eques, diem functus erat, post cuius mortem æs alienum ingens, quod vsque ad extremum vel extra terminum occultauerat, emerfit. Re cōperta miratus Cæsar: Ite, ait, & cubicularem mihi culcitram eius comparate: Obstupentibus mandatum, rationem adiecit: Somnos, inquit, alliciet culcitra, in qua ille tantis debitorum molibus oppressus, somnum capere poterat. Mos antiquis erat in agris suis sepeliri, Vectius quidam agrum excolens, illic inuento sepulchro Patris non pepercit, sed aratrum superinduxit qua in re ita lusit Augustus: Hoc est (inquit) verè sepulchrum Patris colere. Filia eius Iulia festinatos canos ægre ferens, clam vellere consueuerat, superinuenit ornatricibus operi inhiantibus improuisus Cæsar & vulsos capillos